DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE DYSENTERIA QUAM ANNUTU...

Stephanus Mihalovits

Dissertatio Inauguralis
MEDICA
DE
DYSENTERIA

QUAM ANNUTU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI
NEC NON CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
C. R. UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

STEPHANUS MIHALOVITS
DE ALBA JULIA
NOBILIS HUNGARUS

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXXVII.

SEINEN GÖNNERN UND WOHLTHÄTERN

ALS BEWEIS SEINER

VERЕHRUNG UND DANKBARKEIT

WEIHET DIESE BLÄTTER

DER VERFASSER.

Naturae convenienter vivere, vere vivere.

Cic.

PROOEMIUM

Vix verbis satis exprimere valeo gaudium, quo animum meum perfusum sensi, dum post tanta rerum discrimina, ut legi academicae satisfacerem, data est mihi potestas pro labitu meo opus aliquod levidense ex vastissimo rerum medicarum campo, publicae submittendi disquisitioni. Sed quodnam thema ex immenso scientiarum medicarum pelago, fini huic aptissimum, pro objecto Dissertationis susciperem, diu animo dubius haesi. Aliquid novi, in vasto materiarum oceano, vix invenies, quod jam non, per diligentiam tam antiquorum quam recentiorum Medicorum sit elaboratum, exaratum et illustratum; ideo materiam aliquam magis practicam, viribus meis congruam pro argumento emittere constitui. Praeplacuit mihi inter innumera alia, Dysenteria, morbus quippe epidemicus summe insidiosus, in aliquibus, tamen paludosis, Hungariae regionibus endemicus, earumque incolis nimiopere infensus.

Si quid ergo, Lector benevole, erronei in hocce opusculo adinveneris, ne mihi, sed brevitati temporis — adscribere velis, rogo.

Patavii die 14 Augusti 1837.

AUCTOR.

ETYMOLOGIA.

Vox Dysenteriae venit a duabus graecis vocibus a δυς difficile et ἔντερον intestinum. Tormina *Celsi* et aliorum antiquorum. Fluxus cruentus. Alvi fluxus torminosus. Rheuma ventris *Galeni*. Rheuma intestinorum *Coel: Aur.* Fluxus dysentericus. Fluxus cruentus cum tenesmo, Febris rheumatica dysenterica. Graece δυσεντερία, Latine difficultas intestinorum, Gallice la disenterie, Germanice die Ruhr, Blutruhr, Blutzwang, Sarbice Serdobolja, Hungarice vérbas.

DEFINITIO.

Dysenteria est profluvium tubi intestinalis, frequentissime febri diversi characteris junctum, torminibus, doloribus scindentibus, tenesmo seu nixu continuo dolorifico ad evacuandam alvum, saepe inani, evacuationibus frequentius non tantum faecum, sed et liquidorum morbose secretorum, ut plurimum albo-opacorum, puriformium, plus minus sanguine mixtorum, stipatum.

BREVIS DESCRIPTIO MORBI.

Dysenteria jam ab Hippocrate et Aretaeo descripta, aestate adulta, et tempore autumni epidemice mortalibus infensa, difficultatem intestinorum ex inflammatione membranae mucosae eorumdem: in apecie coli, et recti, dum et quando etiam ilei, constitutione aeris atmosphaerici epidemica, aut, rarius tamen, aporadice exsurgen-

tem, sistebat; ita tamen, ut haec inflammatio, plus minus intensa, torminibus in abdomine, dolonbus scindentibus, vel etiam his non praesentibus, et tenesmo seu nixu dolorifico frequenti ad alvum evacuandam ab initio usque finem morbi urgente, stipetur; excretisque paucissimis, serosis, mucosis, striis sanguineis imbutis, vel carnium loturae haud absimilibus, aut vere cruentis, aliquando sebum, vel membranam etiam demonstrantibus, saepe faecibus alvinis compactis, scybalosis, vel et retentione alvi manifestetur. Morbo ad solutionem partium pari passu cum summo vitae discrimine nitente, excretio alvina ita constituitur, ut pus, saniem, materiam putridam intolerabilis faetoris praeseferat. In morbo praeterea praesente, signa inflammationis indubia adsunt, scilicet: dolor scindens, lacerans, premens in abdomine, ad omnem attactum augendus, ideo *C. Raimann* eundem ad classem phlogosium nomine *Enteritidis* retulit. Sed in morbo tam simplici quam complicato v. c. cum exanthemate vel aliis morbis; relate ad symptomata maxima differentia inducitur per characterem dynamicum febris, quae jam mitior, jam intensior dysenteriae ita juncta est, ut sat magna caterva Nosologorum sub nomine febris disentericae ad classem febrium relegaverint, et *C. Sydenham* pronunciaverit, dysenteriam nihil aliud esse, quam *febrim in tubum intestinalem conversam*. Febris haec variat charactere, intensitate et forma, frequentissime initio est characteris mitioris inflammatorii, raro simplicis, saepe simul se associant: tormina cum doloribus articulorum, tendinum, membranarum, cum irritabilitate ac sensibilitate praeprimis cutis exaltata ita, ut morbus praeseferat formam febris rheumaticae, ideo *M. Stoll* declaravit, dysenteriam nihil aliud esse, quam *rheumatismum intestinorum*. Galli autem declarant morbum pro *catarrho tubi intestinalis*, similem coryzae narium, praeprimis hic character ve-

re et autumno constitutione epidemica catarrhali regnante solemnis; adoritur cum horripitationibus, frigore, doloribus tensivis, quae excipit calor exaltatus cum cephalaea frontali, epiphora larga, sternutatione frequentiori, coryza et diarrhoea, cui mox insequuntur symptomata communia dysenteriae cum evacuationibus ut plurimum albo-opacis. Dantur epidemiae, in quibus nec rheumatismus nec catarrhus comparent, sed symptomata poly=et cacocholiae; signa diagnostica sunt sequentia: calor siccus, valida pressio in scrobiculo cordis, nausea continua, vomitum biliosum allevians, lingua muco flavicante obtecta, diarrhoea biliosa, urina fusca, ischuria, cui se associant symptomata dysenteriae: evacuationes flavo-brunescentes, orificium ani excorиantes, peculiarem faetorem spargentes, qua ex causa cel. *Zimmermann* a bile acri membranam mucosam intestinorum irritante, vellicante, *dysenteriam: biliosam* appellavit. Praeterea febris dysenteriam concomitans, qualicunque forma incedat est intensior inflammatoria, et tunc vocatur *dys: inflammatoria;* invadit plerumque viros et juvenes compage corporis sat robusta ornatos et diathesi inflammatoria praeditos: faventibus autem circumstantiis, dum epidemice grassatur, nec infantibus nec feminis tenerioribus ac senibus decrepitis parcit; sequitur haec febris typum saepius remittentem vel tertianum, cujus rationem et ipsa tormina habere videntur: per intervalla augentur et minuuntur, noctu et post cibum captum gravius recurrentia. Praeter haec constantiora agnoscit febris adjuncta, adsunt enim: Dolor capitis cum sensu pressionis in fronte, impatientia lucis, calor siccus, continuus cum turgore et rubore faciei, extremitatum languor, morositas, anorexia, sitis magna vix extinguenda, dolores in abdomine scindentes raro remittentes, tenesmus valde dolorificus, urina parca, flammea, pulsus frequentior, parvus, contractus, duriusculus, irregularis, sae-

pe intermittens. Rarissimis in casibus huic characteri per totum decursum innixa, sed frequentissime *in nervosum* vel *nervoso-septicum* mutatur: quem cognoscimus ex prostratione virium magna, turgore vitali collapso, pulsu arteriarum parvo, filiformi, molli, irregulari, exsiccatis labiis, ariditate et siccitate linguae, crusta nigra obtectae, obnubilatione sensuum externorum, mentis absentia frequentiori, doloribus abdominis intensissimis et tenesmo frequentius remittentibus, quo contingunt excretiones profusae materiae tenuis, coloris fusco-nigricantis, nimiopere faetidi, cadaverosi, morbo in altiorem gradum evecto, se associant: gravitas corporis plumbea, extremitates frigidae, deliria cum sopore alternantia, evacuatio alvi urinaeque aegro inscio, sudor subfrigidus, glutinosus, odoris proprii, per totum corpus prorumpens, prodeunt praeterea miliaria, petechiae, aphthae per cavum oris dispersae, decubitus gangraenescentes, animi deliquia, paralyses partiales utpote: linguae et aliorum, et tandem ni therapia summa rationalis tempestive adhibita fuerit, viribus omnibus consumptis, tristissimo exitu morbus finitur.

Ex hac brevi descriptione unicuique manifestum fit, nos illorum sententiae, morbum localem intestinorum affectionem dicentium, ex qualicunque vitiosa affectione natam, haud esse; praeterea neminem non latet, causis sporadicis mortales seorsive vexantibus, ortum dysenteriae, ni contagio obnoxia fuerit, tribuentes, nos non asserere. Hinc sequitur distinctionem, dysenteriae ab omnibus aliis tubi cibarii adfectionibus, non adeo difficilem esse, quod sequentibus demonstrare conabor:

1) Diarrhoea

Quamvis sit characteris et epidemici et constitutionalis, similis dysenteriae, nihilominus tamen

distinguitur per absentiam torminum et defectum excreti sanguinis meri, nec non evacuatarum aliarum cruditatum.

2) Diarrhoea cruenta

Sistit morbum afebrilem, individuis ut plurimum bene tostis et plethoricis amicum, secernit alvo sanguinem purum, materiis crudis haud admixtum, contingit hoc maxime suppressis aliarum evacuationum habitualium, consuetarum.

3) Lienteria

Originem ducit vel ab atonia ventriculi vel a praegressis evacuationibus innumeris diarrhoeae, dysenteriae, cholerae, vel a praecedente bulimia vel a nimia movendi intestinorum facultate valde adaucta; hac ratione cibis minime mutatis et velocissime excretis, primo obtutu facilis perceptu, diagnosis erit.

4) Cholera

Dignoscitur tam excretionibus alvinis, quam ore ejectis, similibus illis stercoraceis, quibus profusis, ut comites: spasmi et convulsiones extremitatum tam superiorum, quam inferiorum, in summum vitae periculum aegrum conjicientes, ut non raro intra paucas horas estinguatur, aemet accingunt.

5) Haemorrhoides fluentes

Distinguuntur a dysenteria, quod malum sporadicum, usque ad tumbam mortales affligens, inordinate maxime comparens, praeseferant; sanguis ex ano manans, sequitur absque torminibus, vel tantum levi tenesmo praesente, eoque brevi tempore durante.

6) Morbus niger

Maxime grassatur sporadice: invadens individua temperamenti melancholici; in hoc morbo semper sanguinis nigri cum bile spissa mixti, excretio fit.

7) Fluxus hepaticus

Quamvis excretiones faecum loturae carnis similes habeat, tamen distinctio illius difficilis perceptu haud est, nam observantur obstructiones hepatis per menses, imo saepe per annum vexantes, talium aegrorum habitus sunt cachectici, serius vero se associat hydrops.

8) Fluxus coeliacus

Licet hic morbus multis in casibus omnes intestinorum difficultates ob oculos ponat, tamen maxime differt indole sua sporadica et evacuatione liquidi albo-opaci, chylo simili.

NOSOGENIA.

1) *Stadium prodromorum* pro diversa constitutione individuali nec non pro diversa epidemia regnante, variis sese characterisat phaenomenis: incipit semper symptomatibus febrilibus frequentius mitioribus praeprimis statum organorum digestionis alienatum manifestantibus utpote: horripilationibus saepius recurrentibus, frigore cum calore alternante, mox in eum terminante, cum anorexia, nausea, vomituritionibus ac vomitu; praeterea adest dedolatio artuum, pandiculatio, gravitas capitis; observantur saepe dolores in ambitu abdominis transitorii, lancinantes, scindentes, diarrhoea, saeptus alvus constipata, nonnunquam dolores articulorum, tendinum, rheumatismo si-

miles; aliquando phaenomena polycholiae biliosae, alias signa catarrhi organorum respirationis. Haec symptomata prodroma per duas, tres subinde quatuordecim dies excurrentia, nos docent tubi cibarii recessum a statu normali, quin ex illis solis, nisi epidemia tali grassante, difficultatem intestinorum futuram praesagire valeamus.

2) *Stadium evolutionis*, cujus characteres sunt: dolor scindens in regione umbilicali, subinde supra ac infra umbilicum, imo et per totum abdomen, imprimis regionem sacralem extenditur, continuo quidem adest, neque eadem intensitate perdurans, saepe remittit, mox iterum redit, ita subinde intensus, ut miser aeger ad ejulandum, et corpus antrorsum torquendum cogatur: mox accedit tenesmus dolorificus ad deponendam alvum, initio per minora intervalla remittens, et quidem: excernuntur faeces durae, scybalosae, sub doloribus auctis intestinum rectum protruditur, et nisi repositio fiat, incarceratio sequitur, praeprimis in individuis tenerioribus, cum ingentibus aegroti cruciatibus: subinde signa gangraenae palamfiunt; saepe tenesmus est inanis ita ut nulla contingat evacuatio et appellatur a nonnullis Nosologis *dys: sicca;* vel contingit secretio muci tenuis serosi, *dys: serosa;* subinde muci spissioris glutinosi ductilis, *dys: mucosa;* frequentius bilis flava, viridis, vel diversi coloris et acris, *dys: biliosa;* vel evacuantur vermes, *dys: verminosa;* plurimis in casibus massa liquidi excreta est albo-opaci coloris, puriformis, odore peculiari praedita, *dys: alba;* non raro variis his liquidis sanguis instar punctorum vel striarum rubrarum intermixtus, subinde purus secernitur, *dys: rubra;* sed raro purus liquidus est, saepius coagulatus, dum et quando corruptus, faetidus, nigricans, saepe fibrina conspicitur separata, in grumos albos, membranulas, concrementa polyposa, cylindros parvos, subinde tubulos perforatos, intestinum referentes. Aeger tenesmo diu noctuque ita cruciatur ut spatio

unius horae decies, imo vigesies, saepe spatio nychtemeris plus quam centum vicibus et ultra ad alvum deponendam cogatur. Quantitas vero liquidorum excretorum nonnunquam contingit nulla, vel parcissima, subinde ad paucas drachmas v. ad uncias et in casibus rarissimis ad plures libras. Praegressa evacuatione levamen, exiguum vero, et brevissimum aegri experiuntur; tenesmo et torminibus mox intensioribus reversis. Praeter symptomata statum peculiater tubi intestinalis morbosum indicantia, observantur alia consensualia ut: dysuria, ischuria, vomituritio, vomitus, cephalaea ingens, tussis, spasmi diversarum corporis partium etc. Durante hoc stadio per 7 — 14 dies sub therapia rationali naturae morbi individuali congrua, morbus judicatur, sequitur

3) *Stadium decrementi*. Characterisatur istud, omnium phaenomenorum prius dictorum imminutione, symptomatibus nempe febris et dysenteriae, doloribus abdominalibus et sacralibus multum lenitis, rarius jam revertentibus, tenesmo et excretionibus tumultuariis aeque rarioribus et mitioribus, evacuationibus criticis per alvum, urinam, sudorem, ac calorem per totum corpus moderate extensos, levamen adferentes, saepe miliaribus criticis comparentibus, faeces evacuatae evadunt normales ad indolem magis faeculentam accedentes, faetorem illum proprium non habentes; facies evadit hilarior, appetitus cibi aliquis ae annunciat, sensimque notabiliter augetur ita ut functiones omnes decursum normalem praeseferant. Excurrit hoc stadium per 7 — 14 dies evanidisque omnibus morbi symptomatibus aeger indeterminato tempore attingit

4) *Stadium reconvalescentiae*. In hoc cum jam omnes functiones, excepta sola dispositione ad morbum perpessum superstite, normales sint, regimen hygiene per unam alteramve septimanam, ne, ad numerum viventium restitutus, recidivam patiatur convalescens, observandum erit.

MORBI DIVISIO.

Cum nos non latet dysenteriam relate ad essentiam unicam, ad normam tamen aliorum morborum diversis modificationibus obnoxiam, hacque ratione diversis divisionibus ansam praebuisse, ut multi Nosologi illam diviserint: *in acutam, chronicam, sporadicam:* = Differentiae vero essentiales dysenteriae relate ad characterem dyn. febris *in inflammatoriam*, hancque *in dys: rheumaticam, catarrhosam, biliosam, nervosam et putridam*.

His itaque omnibus rite descriptis, transeo ad aetiologiam.

AETIOLOGIA.

Omnes Nosologi dysenteriae convincuntur, dari aliquam generalem dispositionem in hunc morbum exitialem, in peculiari teneritudine et sensibilitate tubi intestinalis radicatam; quia sine discrimine aetatem omnem invadit, nulli sexui parcit, omni temperamento se associat, sexui virili magis amicior quam sequiori, aetatem virilem frequentius, quam ceteras vitae periodos vexat, causa hujus rei non videtur fundari in praevalente receptivitate, sed potius, quod sexus et aetas virorum maxime activa, causis excitantibus magis exposita sit. Nemo autem dubitet, ut hanc solam praeprimis in dys: sporadica sufficientem praetendam, haud immemor, non omnes his sinistris influxibus expositos, morbo affici; unde collimare fas est, dari et momenta receptivitatem peculiariter exaltantia, hinc in morbos singulariter disponantia.

Causis praedisponentibus adnumeratur imprimis peculiaris constitutio atmosphaerae, quotidiana enim experientia docemur, sub tropicis in utraque India et Africa epidemice omni anno multa

millia hominum necans, nec non apud nos in Hungaria, quovis anno simili modo sub finem aestatis et initium autumni, fervidiori quippe aestate praegressa, praeprimis in illis patriae meae partibus, exundationibus frequentioribus obnoxiis, saeviens pluresque centenos trucidans: praeterea teneritudo intestinorum et stimuli impatientia, digestio tarda, imbecillis, laxitas ventris nimia per profluvia praegressa, animi pathemata, imprimis metus nimius erga morbum futurum, immundities, defectus alimenti idonei, saburra gastrica vel intestinalis, mucosa, biliosa, verminosa.

Causae excitantes dividuntur in locales sporadice, et universales epidemice agentes: ad locales pertinent: genus alimentorum incongruum, ut fructus horrei immaturi vel corrupti, vel ovulis insectorum inquinati et magna quantitate ingesti, quo inprimis melones, pepones, cucumeres, zeamays singularem considerationem merentur, huc spectat et panis male pistus, e farina cereali corrupta confectus, aqua stagnans in usum quotidianum adhibita, errores diaetetici inprimis reconvalescentium: sic a carne suilla, ovulis piscium, a hepate plurium animalium et a leguminibus una cum epidermide duriori, majori copia ingestis, vel ab abusibus purgantium drasticorum elixiriorum aloeticorum specifice in vasa haemorrhoidalia agentium, morbum sporadicum excitari. Nonounquam per evacuationes alias habituales suppressas morbus sporadicus excitatur, ut: per catameniorum, haemorrhoidum retentionem, per morbos alios e cute evanidos; vel symptoma aliorum morborum uti aphtharum, variolarum in ipso tubo intestinali residantium, sistit.

Causae morbum epidemicum excitantes:

a) Fructus horrei immaturi, corrupti, quotidianum in usum adhibiti, quibus tempore egesta-

tis miseri coloni vescuntur, causam excitantem praeseferunt feracissimam, alii hanc negant, alii insufficientem declarant.

b) Aer frigidus, humidus, et subitanea temperaturae mutatio, causa excitans maxime vulgaris, ex qua fluit quaestio momentosa: quid sit illud, quod corpus ita disponi possit, ut potentia haec influxum suum et actionem, non in alias partes sed ad intestina crassa, praeprimis rectum, ita dirigat, ut in his secretio adeo abnormis evadat, ut universa oeconomia animalis in usum trahatur? Nos latet; hanc causam frequentissimam esse, et evolutio morbi epidemici tempore caniculorum, mense Augusto et initio Septembris, quo aestus diurnus cum frigore nocturno alternat, testatur, et quidem vel maxime in plebe ut: messoribus, mercenariis, vinicolis, obviis, quorum tubus intestinalis, ob aestum diurnum praegressum, haustum diversorum potulentorum ut: lactis acidi, vini austeri, cerevisiae acidae non fermentatae, ingurgitationem fructuum horreorum, nimiopere debilitatur, cui se associat aestus continuus, per quem provocantur sudores profusi et ita post finem laborum suorum sub diu peractorum, miseri loca umbrosa et dumeta vel vero solum humidum frigidum refocillandarum virium causa, petunt. Omnibus ergo momentis rite perpensis minime mirandum, difficultatem intestinorum tempore supramemorato inter miseros colonos efficere morbum feracissimum.

c) Constitutio atmosphaerae peculiaris causa epidemiae proxima; in quo autem haec aeris atmosphaerici mutatio consistit, an in partibus constituentibus alienatis? An in peregrina aliqua substantia atmosphaericae admixta, vulgo miasmate? in medio relinquendum; hinc ergo sequitur dysenteriam nec ubique locorum, nec omni anni tempore epidemice saevire.

Contagiositatem dysenteriae multi celeberrimi viri cognoverunt, quorum argumenta per multos

observatores, tam Parisiis in nosocomio Charité, quam etiam Viennae per celeb. M. Stoll factas, convellere videntur, qui candide testatur, inter plurea centenos aegros dysenteria affectos, in eodem cubili decumbehant et alii aegri, quin vel casus unicus contigisset morbi per contagium propagati. Nos in tanto opinionum discrimine mediam sequamur viam, quamvis nos absolutam hujus morbi contagiositatem non negemus, dum juncta est febri asthenicae cum charactere nervoso-septico, tunc ejus contagiositas per exhalationem aegrorum concipitur, longe frequentius tamen e faecibus emanans, scrupolosius investigantibus, communicari solet.

CAUSA PROXIMA

1. Diversae opiniones de causa proxima hujus morbi depromptae fuere: aliqui defendebant exulcerationem tubi intestinalis locum habere, partim quod materia puriformis, subinde Ichori similis per alvum excernatur, partim ex ulceribus in cadaveribus repertis; atqui opiniones horum Nosologorum obscurari videntur, cum excretiones puriformes etiam in aliis inflammationibus catarrhosis, e quibus vel coryzam, blenorrhoeam urethralem, vaginalem, catarrhum tubi intestinalis chronicum commemorasse sufficiet, excerni conspicimus, quae secretio contingit etiam sine omni exulceratione, cujus nec vestigia disquisitiones anatomico-pathologicae monstrant, hinc ergo dysenteriam tunc tantum cum memoratis phoenomenis maximam habere analogiam, cum morbus summum inflammationis gradum attigerit, et praefatas exulcerationes tantum opiniones fuisse, clarum est.

2. *C. Zimmermann* una cum assecIis pathologiae humoralis, causam proximam omnium morborum repetens a statu abnormi fluidorum, hinc et dysenteriam consistere in peculiari degeneratione liquidorum entericorum, imprimis bilis: negare non

possumus, in hoc morbo liquidorum tam in tubo intestinali, quam in vicinis organis secretionem et relate ad quantitatem et qualitatem abnormem esse, quod tamen potius effectus, quam causa dysenteriae dici potest.

3. *C. Berends*, causam proximam dysenteriae in inflammatione rheumatico-catarrhosa ipsius intestini recti, et partis adjacentis colon, glandulis et folliculis mucosis refertissimorum posuit. Certum est, affectionibus catarrhoso-rheumaticis intestinorum inprimis crassorum structuram amicam esse, hinc saepe sequitur, ut difficultas intestinorum hunc characterem induat, ast ut natura morbi simplicis tempore epidemiae grassantis in plurimis casibus pure phlegmonosa sit, asserere non audemus, cum nos, et indoles febris consensualis et tristissimi dysenteriae exitus omnibus inflammationibus communes, in exsudationem, indurationem, suppurationem, gangraenam et sphacelum, certiores faciunt.

Combinatio ergo omnium symptomatum nos convincit, causam proximam dysenteriae in statu inflammatorio partis alicujus intestini crassi, frequentissime solius intestini recti, quod etiam investigatio cadaverum plurimorum comprobat: semper enim signum praegressae inflammationis et quidem saepe tantum superficialis, erysipelaceae, non raro profundius penetrantis, phlegmonosae, in intestino recto detegitur: hinc ille sensus ustionis in regione sacrali, tenesmus dolorificus, evacuatio faecum impedita, excretio liquidi morbose secreti; subinde inflammatio haec extenditur ad partem reliquam intestini crassi, rarissimis in casibus etiam intestinum tenue inflammatum est.

DURATIO

Decursus hujus morbi, a majori vel minori intensitatis gradu, ab exitu felici vel lethali, ac demum a therapiae adhibitae ratione dependens, varius est. Morbus mitior curriculum suum inter

4. 7. 9. aut 14. dies, crisibus subsequentibus per diaphoresim, urinam, alvum, aut alia colatoria et tenesmo cessante, absolvit. Intensa dys: vero subinde miseros intra biduum, triduum faucibus orci tradit, subinde longe saepius per 3. 4. 5. septimanas ante plenum sui judicium excurrit.

PROGNOSIS

. Ut in omni casu individuali probabilem pronunciare valeamus, attendimus ad momenta cuncta et nosographica et nosogenetica naturam morbi individualem indicantia: ergo praesagium hujus morbi triplici momento: nempe indoli febris, mitiori vel graviori locali affectioni ac therapiae adhibitae rationi innititur. Sic, si paroxismi febriles mitiores, noctes pacatiores, tormina minus dolorifica, excretiones alvinae sine tenesmo, mucosae, atris flavis, non adeo cruentis vel fuscis stercoribus mixtae cum levamine secretae fuerint, si sudor et thermogenesis moderati, urinae sedimento cocto appareant, si appetitus cibi melior evadat, si in arthriticis arthritis, in gravidis partus in conspectum veniant, tandem si his therapia rationalis naturae morbi individuali apprime congrua, in auxilium tempestive vocetur, tunc prognosim faustam recuperandae salutis augurari licet. Infausto vero exitu coronatur dysenteria: si febris inaequali virium distributioni ita inradicetur, ut earum accumulationem ad organa nobiliora promoveat, et simul inaequales reactiones provocet, quo energia vitalis debilitari debet. Sic praeter symptomata conseveta dysenteriae, accedit calor siccus continuus cum anxietate et inquietudine nimia junctus, sitis intensissima, vomituritio et vomitus; morbo ad majorem gradum evecto signa adynamiae palamfiunt: summa virium animalium dejectio, soporositas, deliria, tendinum subsultus, singultus, leipothimiae frequentes, collum siccum et aridum, deglutitio difficilis, lingua fissa, sicca, muco nigricante tecta instar glaciei frigida, facies

collapsa, pallida, hippocratica, acies oculorum imminuta, pulsus exiles, debilissimi vacillantas, inscia alvi et urinae evacuatio, horrens frigus extremitatum, paralyses partiales, et hac ratione in hoc rerum statu organismus constitutus, brevi exspirat.

Praeter resolutionem et mortem directe per characterem dysenteriae nervosum vel septicum causatam, abit in indurationem et desorganisationem tubi intestinalis, in suppurationem et gangraenam. Dantur praeterea momenta prognosim modificantia uti: Aetas, constitutio corporis, certa vitae conditio, causae occasionales et character dynamicus morbi.

THERAPIA

Licet omni tempore remedia ut specifica anti-dysenterica multum laudata, nulla tamen dari contra omnem dysenteriam proficua, quotidiana experientia edocti sumus; quia, quae sub una eadem epidemia utilia fuere, alio tempore nocuerunt, hinc medici ulteriori illius applicationi merito valedixere. Natura enim dysenteriae momentis et nosographicis et nosogeneticis docentibus, varia est; ideo in singulo casu cura morbi individualis esse debet.

Indicationem itaque primam depromimus a causis excitantibus per examen rite aegri detectis, ita si morbus productus fuit per saburram ex ingestis generatam: tunc evacuatio ejus indicata est, cui in casibus frequentioribus maxime respondet emeticum: Tartras lixivae stibiatus vel ipecacuanha; haec remedia et antagonistice per conquassationem totius corporis et systematis nervosi, cutis transpirationem promovendo et motui peristaltico regularem directionem conciliando, utilia sunt; in casibus rarioribus, signis saburrae deorsum turgescentis, proficua sunt purgantia blandiora ut: pulpa tamarindorum, oleum ricini, in nonnullis casibus et drastica, ut jalappa, sed semper cum ma-

gna circumspectione, ne fors inflammationem in tubo intestinali latentem, exaltemus; si forte dysenteria producta fuit per morbum qualemcunque e cute evanidum; tunc irritatio cutis per solam frictionem vel aromaticorum, per sinapismos, vesicantia, necessaria est: Ubi vero dys: constituerit, symptomata febris intermittentis, ibi cortex cinchonae opio junctus est medicina efficacissima: Si dys: producta fuerit per dentitionem difficilem, tunc remedium ex oleo olivarum recenti cum saccharo mixtum, saepius aegro per diem cochleari coffeaceo porrigimus.

Aliam curae indicationem desumimus a statu dynamico-organico abnormi; cum in omni dys: locum habet status inflammatorius in membrana mucosa intestini crassi, inprimis recti, ideo methodus antiphlogistica est indicata, in qua partem principalem curae constituit vitae regimen antiphlogisticum, removendo cunctas causas statum inflammatorium exaltare valentes uti sunt: refrigerium, per cujus influxum non raro morbus generatur, ideo aeger debet calore moderato foveri, in lecto calido conservari sollicite invigilando, ne sub evacuatione alvi refrigerium admittat, forte nudipes ad magnam distantiam exeat, vel potum gelidum hauriat; sed et acris puritati studendum, ad quam conservandam, excrementa faetida statim e cubili removeantur, recept: aqua et aceto eluantur, ventilatio nulla die intermittatur, hae baud sufficiente, fumigatio vapore aceti vel acidi nitrici vel Salis vel chlorii instituatur; Praeter haec metus, terror, animi affectus deprimentes solerter arceantur et cuncta, quae animum prostratum erigere valeant, coordinentur.— His ita coordinatis indicationem curae ulteriorem desumimus ab intensitate et complicatione status inflammatorii tubi intestinalis, ita in dys: sporadica charactere inflammatorio miti stipata, nonnunquam ad resolutionem morbi sufficit jam regimen vitae diaeteticum, si vero huic non cedat, tunc cura duabus indicationi-

bus innititur et quidem: a, ut inflammatio topica imminuatur, commendamus statim interne decocta emollientia, mucilaginosa ut Dctm Sem: hordei-lini, canabis, oryzae, malvae, althaeae, salep vel emulsionem Sem: Amygdalarum dulcium vel Emuls. Oleoso-gummosam; externe abdomini calorem siccum vel cataplasmata emollientia, emollienti-narcotica e pulv: Specier: Emoll: addito pulv. herb. Cicutae, hyoscya: aa: *Unc: quatuor-libr. semis*, vel regioni sacrali vel perinaeae applicamus; sed cum renovatio horum refrigerium facile admittat, ideo praestat potius inunctionem oleo blando narc. ut hyosc. vel cicutae cocto instituere et desuper pannum laneum ponere; b, clysmata emollientia anodyna: sed scimus sedem morbi non esse semper intestinum rectum, hinc an utiles clysteres? et sipho clysteris applicando irritat, sic potius inflammationem auget: nonnunquam rectum per nixum nimium prolabitur et applicationem clysmatis impossibilem reddit; haec contra clysteres pugnant. Interim si minor inflammationis status admittat, tunc clysteres ex solutione amyli in aquae calid. *unc. jjj* cum Tinct. opii simpl. gtt. 6-8. utiliter exhiberi possunt.

In dys: infantum *C. Hildebrand* commendat clysma ex qualicunque Dcto emollienti ad *Unc. duas* cum vitello ovi subacto summe efficax.

Charactere inflammationis mitigato, utilia sunt diaphoretica blandiora, ut infusum florum sambuci, vel tiliae addito Roob sambuci vel Spir. Minder.

Saepe evenit ut inflammatio ex toto evanescat, sed status dynamicus abnormis tubi intestinalis se manifestat per sensibilitatem et irritabilitatem morbose exaltatam; qua ex causa dolores, tenesmus et evacuationes tumultuariae sustentantur: huic statui optime respondent narcotica, inter quae maximam laudem sibi acquisivit opium, quod jam solum ad *gr. semis-unum* in emulsione frequentius in connubio cum Ipecacuanha porrigitur, cui aliqui addunt Calomel sequent: form: Rp. opii pu-

ris: Muriat. hydrar. mitis-pulv. rad. Ipecac. aa: *gr. unum* Sachari albi gr. XII. m. f. p. dent. d. tales n.° 3. Sig. vesperi pul. 1. sum: desuper infusum florum samb. bibendum. Praeterea Ipecacuanha dosi refracta ad tenesmum et irritabilitatem morbose tubi intestinalis exaltatam, mitigandum, alvum faeculentam educendam, plurimum facit. Porrigitur autem a gr. 1/4 ad gr. j. pro dosi; licet alii commendant Dosim a gr. VI-XII. *Richter* Extract. hyoscyami; *Hufeland* Extr. nuc. vom. aquos. maxime laudat, ut *scrup. semis*, solvatur in aquae dest. Samb: *unciis sex.* addatur spiritua Minder: Roob sambuci aa: *unc. semis,* omni bihorio duobus cochlearibus, vel secundum *Schultz* Rp. Extr. nuc. vomic. *Scrup. semis* Mucilag. gum. arabic. *unc: j:* Aquae font. *unc. sex* Sirup. alth. *unc: j:* aliqui addunt ad virtutem exaltandam opium. Praeterea clysmata anodyna involventia, si contra indicata non sunt: cataplasmata emollientia, emollienti-narcotica; metu refrigerii admittendi potius commendamus unq. alth. cui addimus unq. vel extract. hyoac. cicutae et tincturam opii, vel infusum necotianae tabacae instar fomenti abdomini applicamus. Si vero huic characteri se associat abnormis status nervorum vitae organicae, praeprimis hoc evenit in debilioribus individuis; tunc pulveribus supradictis addunt Camph. ad gr: j-jj. Ad eundem finem adhibent Tinc. sequentem. Rp. Liq: amm: succin: *Dr: jjj:* Opii purissimi gr: IV. Extr. hyoscyam: gr. VIII. sig. ter per diem bene exagitando guttas triginta in coch. cibario vel invicem pulv. dow. vel Vini stibiati *Dr: jjj:* Tint. opii simpl. *Drach: j:* Sig. sumat aeger per diem ter guttas viginti.

Quod alteram indicationem attinet, in plurimia casibus ob characterem febris inflammatorium et quidem mitiorem, raro necessaria est, quoniam cura effectu optimo tam remediis antiphlogisticis, quam diaphoreticis suprafatis, coronatur; subinde tamen singulari modificationi subjectam, peculiarem requirit circumspectionem.

Saepe febris dys. habet characterem catarrhosum: atque tunc Sal. amm. dep. *Dr. sem: j.* cum pul: rad. liquir. vel in decocto aliquo emollienti cum succo liquir. inspissato vel secundum *Strom. Richter* Sal. amm. dep. in connubio cum opio et ipecac. forma pulv. vel calomel a grj-jj cum opio pur. *gr: sem:* uno, bis terve per diem: alii ut specificum laudibus efferunt flor. sulfuris s. f. Rp. Sach. gumm. arab. aa: *unc: j.* flor. sulf. *unc. sem:* Pulv. sem. foenic. *Dr. sem:* m. f. p. dt. in scatulam Sig. pulvis dys: omni triborio. coch. parvo in aqua sumendum.

Subinde febris dys. exhibet characterem rheumaticum, tunc apprime conveniunt remedia mitiora diaphoresim provocantia, si haec non sufficiunt, tunc *C. Matheus* Acetatem ammoniae in connubio cum opio vel *Jordens*: Clysma ex decocto concentrato herb. flor. millefolii additis duobus vel tribus cochlearibus coffeaceis amyli, commendant.

Frequenter tam dys. sporadica, quam epidemica, *characterem* habet *eminenter inflammatorium*, atque tunc et methodus antigastrica evacuans et diaphoretica, adbuc magis stimulans, adstringens, et narcotica noxia, non raro lethalis est. Methodus antiphlogistica strictior necessaria est, atque tunc praeter vitae regimen antiphlogisticum sanguinis evacuatio universalis in auxilium trahenda, juxta alios saepius reiteranda, nobis tamen caute instituenda, saepe sufficit depletio topica sanguinis, ope hirudinum, infantibus, pueris, quatuor usque 10. adultis 12. usque 30. jam regioni perinaeae jam circa orificium ani, subinde et regioni sacrali adplicamus: saepe tamen tenesmo imminuto, dolores scindentes in abdomine perstant, tunc hirudines vel cucurbitulas cruentas thecae abdominali imponimus. Depletione sanguinis praemissa, externe cataplasmata emollientia vel emoll. narcotica regioni sacrali vel perinaeae applicamus, semper attendendo, ne refrigerium in hoc casu noxium, admittatur, interne decocta emoll. exhibenda sunt. Sales antiphlogistici et nitrum contraindica-

te sunt, usus quoque opii singularem attentionem meretur.— Si vero character dysenteriae evadat biliosus, tunc indicatio prima est, ut nota biliosa, quo ocyus deleatur, morbusque simplex reddatur ideo monente jam C. Stollio in tali casu optimum remedium est emeticum; vel faecibus biliosis, in partem inferiorem intestinorum ingressis emetocatharticum. Emesim tartaro Emet: alvum eccoproticis lenioribus neque salinis movemus. Subinde sunt signa saburrae biliosae fallacia non tam per polycholiam, quam per statum irritatum hepatis fors consensuali modo per statum inflammatorium intestini recti productum, inducta, tunc princeps remedium est Calomel solum vel cum Ipecacuanhe dosi magna *Fergusson:* vel secundum Thomson Calomel a gr: j-jj: cum opio gr. *sem:* externe unq. hydr. ciner. e Dr: j-jj: abdomini inungendum. Si vero adsit vomitus nimius in dys: bil: tum Giralius commendat p: a: Rp: Magn: alb: Acid: tart: crist. aa partem unam. Sach. partes IV. m. f. p. cui dum ex praescripto datur, unciae cuique, olei menth. pip. gutt. tres admiscendae sunt. Sig. 3-4. quotidie cocleari coffeaceo cum aqua sumendum.

Subinde character morbi inflammatorius sub initio tantum morbi observatur, serius partim ob constitutionem individualem aegri, vel ob genium epidemiae regnantis, influxus debilitantes ob circumstantias aegri minus faventes, inprimis therapiam incongruam evolvitur *Character* dysenteriae *nervosus* vel *septicus*, gradu debilitatis minori praesente Camphora et Acetas amm. dosi parva exhibenda sunt, porrigendo in vehiculo aliquo aromatico v. aquae dest. flor. Chamm. Melissae, Ment. *unc: IV.* Acetatis amm. *scrup.* sem.-j addito camp. subactae gr: j-jj. Si gradus major debilitatis adfuerit, tunc indicata sunt excitantia nervine efficaciora, ut radix Angelicae, Valer. sylv. Serpent. Virgin. in infuso addito camphoram successive ad gr. VI-X. eugendam vel liquores aethereos, his non sufficientibus magnam sibi laudem promeruit Moschus. s. *Ri-*

chter. Si symptomata febris asthenicae cum charactere nervoso vel septico se manifestaverint, tunc radix et flores Arnicae a *Collin* et *Stoll* laudatae eximiam exerunt virtutem vel solae vel juxta *Hinze* in connubio cum opio. Si character septicus dominium tenuerit, adstringentia et tonica maxime quadrant: ut alumen *Leib. Mosel:* acida mineralia: oxymuriaticum vel nitrosum. *Th. Hope* cortex cinchonae, Cinnamomi, radix ratanhiae *Ruster* in decocto vel extracto, cortex cassiae ligneae, nux moscata, inprimis vero vinum antiquum, rubrum Hungaricum, quod sub statu vere asthenico in dysenteria virtutem aliorum pharmacorum antecellit. In hac specie dysenteriae etiam externa remedia atimulantia indicata sunt, ut fomenta aromatica, aquosa vel vinosa vel inunctionem spiritus camphorati vel linimenti volatilis in abdomen; subinde sinapismus vel emplastrum cantharidum applicitum; huc pertinent etiam ex Decto Valerianae a *Horn*, et ab aliis clysmata aquae frigidae proposita.

Subinde post dysenteriam graviorem perpessam, remanet status adynamicus jam universalis longe saepius tamen topicus, qui se manifestat per diarrhoeam chronicam per debilitatem et laxitatem tubi intestinalis sustentatam, dys: chronicam; ideo laudantur ab observatoribus diversa adstringentia tonica, ut alumen, cortex quercus, symphitum, lithrum salicaria, cortex simaruba, cascarillae, radix colombo, ratanhiae, terebinthina, aqua calcis jam externe forma clysmatis, frequentius interne in decoctis adhibita, quibus tamen omnibus palmam eripere videntur, radix et flores Arnicae et cortex cinchonae, sed frequentissime ob statum adynamicum universalem simul praesentem, praestant diaeta blande nutriens, vinum bonum dosi moderata porrectum et aer purus, siccus, acidulae selteranae cum lacte asinino; subinde hanc debilitatem chronicam per usum liebcuis islandici, martialia, balsamica debellamus.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Mors vera in rerum natura non existit.

II.

In muneribus et functionibus psychicis, divisum fere imperium cum anima corpus habet.

III.

Character dysenteriae essentialis est inflammatio.

IV.

Medicus tantum completa morbi diagnosi, in salutem aegri operabitur.

V.

Nulla dantur signa primae foetus inspirationis infallibilia,

VI.

Nec conceptionis.

VII.

Vena portarum est praecipuum vas pro bile secernenda.

VIII.

Catalepsis cerebri malum est.

IX.

Opium in dysenteria princeps remedium.

X.

Cholera asiatica non est morbus contagiosus.

22